

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3758

**Auteur(s) :** Évreux (official)

**Bénéficiaire(s) :** Jean de Criquebeuf, chevalier, bailli de Verneuil [autre]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1272, 16 octobre

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

L'official d'Évreux notifie la vente faite par Girard dit le Chauf, écuyer de Charnelles, à Jean de Criquebeuf, chevalier, bailli de Verneuil et Gisors, de tout ce qu'il avait à Charnelles.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 814, p. 189.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Ebroicensis, salutem in Domino. Notum facimus quod, in nostra presentia personaliter constitutus, Girardus dictus le Chauf, armiger tunc temporis, de parrochia de Charnellis, confessus fuit se vendidisse et nomine venditionis concessisse et penitus dimisisse Johanni de Criquebodio, militi, tunc temporis ballivo Vernolii et Gisorci, quicquid juris, dominii, possessionis et proprietatis habebat seu habere poterat in parrochia antedicta, quocumque jure, caduco, chaeta, susceptione, causa seu ratione, in terris arabilibus et non arabilibus, domibus, pratis, nemoribus, redditibus, censibus, dominiis, districtu, juridictionibus et omnibus aliis rebus quibuscumque, quocumque jure seu nomine censeantur et in quibuscumque rebus existant, pro sexies centum libris turonensium, de quibus idem Girardus plenarie coram nobis se tenuit pro pagato, et de quibus confessus fuit a dicto Johanne de Criquebodio sibi extitisse satisfactum. Preterea Katerina, ejusdem Girardi uxor, in nostra presentia personaliter constituta, confessa fuit se habuisse et recepisse a dicto Girardo, marito suo, ducentas libras turonensium de summa sexies centum librarum turonensium ad suam dotem aumentandam, seu augmentationem dotis seu dotaliciei, et ad educandum liberos suos ab ipsa et dicto Girardo procreatos, matrimonio constante inter eosdem, de quibus ducentis libris turonensium a dicto Girardo confessa fuit coram nobis sibi satisfactum esse, et de quibus se tenuit pro pagata. Confessa fuit etiam se dictam vendicionem a dicto Girardo dicto Johanni voluisse et eidem venditioni consensisse, ac etiam dictam vendicionem coram nobis voluit, laudavit et aprobavit, et juravit tactis sacrosanctis ewangeliis, quod contra predictam vendicionem aliquo jure aliqua de causa seu consuetudine per se vel per alium non veniet in futurum, nec aliquod de cetero reclamabit in premissis. Preterea tam ipse Girardus quam dicta Katerina renunciaverunt coram nobis specialiter et expresse excepcioni non numerate pecunie, non tradite, non solute, actioni de dolo, et omni lesioni et deceptioni, deffensioni et allegationi, omnique privilegio indulto et indulgendo, et omnibus rationibus juris et facti, que contra presens instrumentum seu vendicionem predictam possent obici vel opponi, et per que predicta venditio in parte vel in toto posset aliquatenus enervari. Et juraverunt coram nobis tactis sacrosanctis ewangeliis, quod contra premissa in toto vel in parte non venient nec eciam aliquid in eisdem reclamabunt, inmo omnia et singula supradicta jam dicto emptori et suis heredibus quibuscumque, seu illis qui ab ipso causam habebunt premissa possidendi, tam ipsi

quam eorum heredes garantizabunt et garantizare tenebuntur et tenentur. Juravit insuper dicta Katerina quod ipsa, non coacta, nec vi, nec dolo, nec metu ad hoc inducta, set spontanea, predictam venditionem volebat, laudabat et aprobabat et quod contra predictam venditionem, racione dotis, dotaliciei, seu donationis propter nuptias seu maritagiis impediti per se vel per alium non veniret in futurum, et renuntiavit in hoc facto, prestito super hoc ab eodem sacramento, consuetudini Normannie per quam mulieres post mortem maritorum consueverunt repetrere suas dotes impeditas. Voluerunt etiam et consenserunt tam ipsi Girardus quam Katerina specialiter ac expresse, quod nos ac episcopi Ebroicenses, seu eorum officiales, qui pro tempore fuerint, ad omnia et singula observanda et tenenda, ubicumque se transferant vel deducant, compellere valeamus, se ac heredes suos, quantum ad premissa, jurisdictioni curie Ebroicensis supponentes. In cuius rei testimonium, sigillum curie Ebroicensis, ad petitionem dictorum Girardi et Katerine, presentibus litteris duximus apponendum. Actum et datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo secundo, die dominica ante festum beati Luce ewangeliste.